ANNIVERSARIA
IN
MAGISTRATUS ACADEMICI MUTATIONE
SOLENNIA
CELEBRANDA INDICIT
REGIÆ UNIVERSITATIS HAUNIENSIS
RECTOR
CUM
SENATU ACADEMICO.



HAUNIÆ 1814.

Antiquitates quasdam ex monumentis priscis, præcipue ex gemmis musæi Münteriani et Monradiani, illustrando prolusit M. BIRGERUS THORLACIUS, Prof. Eloqu. Lat.

TYPIS EXPRESSIT DIRECTOR JOHANNES FRIDERICUS SCHULTZ,
AULÆ REGIÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

Perillustri Francisco Avellino, J. C. Neapolitano.

2



1



3



Tempus adeſt, quo novus Magiſtratus, exeunte anno Academico, nobis inaugurandus eſt. Transibit rerum noſtrarum regimen a Facultatis Philoſophicæ membro ad Theologum. Quibus ſollemnibus ut more noſtro præludamus, liceat ritus nonnullos antiquitatis Tibi, Lector Benevole, proponere, eosque ex monumentis et ſcriptoribus explicare. Eligemus tales, qui a feſti noſtri natura non ſint alieni. Cum enim id agamus, ut anni clavum (ceu loquitur Cicero) a) moveamus; cum optimis quibusque ominibus in annum ſequentem rem Academicam et literariam proſequamur; cum denique in lætisſimis diebus eum jure ponamus, quo novus Univerſitatis Rector munus ſuum auſpicabitur; nos iſta omina obſervationibus ex antiquitate ſubſequentes 1) morem Romanorum clavum annalem figendi illuſtrabimus, 2) formulam aliquam bene ominatam a Plutarcho in quæſtionibus Romanis allatam, critice perſequi veroque ſuo ſenſui reſtituere ſtudebimus, 3) memorabile artis priſcæ monumentum, lætitiæ, in ſympoſiis cum aliis tum literariis vigentis, indicem, exponere conabimur. Quod noſtrum inſtitutum peritis haud displiciturum ſperamus, cum unâ operâ et partibus anti-

 qui-

a) ad Att. V, 15.

quitatum non injucundis ita differendo confulere queamus, et eruditorum oculis fubjicere duas gemmas elegantisfimas, alteram ex mufæo Viri Perill. et S. V. Frid. Münteri, Sialandiæ et Regiorum Ordinum Epifcopi, alteram ex dactyliotheca Viri Perill. P. I. Monrad, Regis a Confil. Conferentiarum atque in Cancellaria Danica Deputati. Utrumque cimelion, ut plura in mufaeis præftantisfimorum iftorum virorum latentia, lucem publicam omni nomine meretur. Hifce autem monumentis interferuimus imaginem in columna Cusfyana prope Auguftodunum in Gallia repertam, quæ fecundæ hujus disquifitiunculæ fectioni illuftrandæ inferviet.

I.

Figura 1, tabulæ æneæ incifa, gemmam Münterianam fiftit, eadem, quam lapis habet, magnitudine. Carneolus ruber eft, elegantisfimi operis, fcalpturæque arte, mollitie et lævigatione antiquitatem ævo Auguftæo vicinam videtur teftari. Caput oftendit viri Romani, et ante illud clavum; qualis in nullis monumentis huc usque publicatis cernitur. Agnofcit in hac repræfentatione Perilluftris lapidis poffeffor L. Manlium Imperiofum, qui clavum primus in Capitolio fixiffe dicitur; et is fane eft viri in gemma vultus, ea frontis, ea oris gravitas dignitasque, quæ, licet ejus facies non aliunde innotuerit, in iftum Romanum heroëm egregie cadat.

De clavo luculentisfimus eft Feftì Pompeji locus b), ex bono certe fonte derivatus: "*Clavus annalis* appellabatur, qui figebatur in

b) *Sex. Pompeji Fefti* de verborum fignificatione Libri XX. ed. *A. Dacerius.* Lutetiæ Parif. 1681. 4to p. 882.

in parietibus ſacrarum ædium per annos ſingulos, ut per eos numerus colligeretur annorum." Antiquisſimis nempe Romæ ſeculis ea erat gentis ſimplicitas ruditasque, ut non aliter, quam populo cujusvis novilunii initio a Maximo Pontifice convocato monitoque, quando lunæ vices per iſtum menſem inciderent, de anni lunaris curſu edoceri poſſet; nec aliter de cujusvis anni initio, quam clavo ſacræ alicui ædi infixo, certior redderetur. Illius inſtituti reliquiæ in Calendarum appellatione, hujus in clavi annalis vi et nomine, erunt agnoſcendæ. "Eum clavum (inquit Livius) c) quia raræ per ea tempora literæ erant, notam numeri annorum fuiſſe ferunt. Volſiniis quoque clavos, indices numeri annorum, fixos in templo Nortiæ Etruscæ deæ, comparere, diligens talium monumentorum auctor Cincius affirmat." Iſtam Nortiam recentiores eruditi ſive d) cum Romanorum Pomona, ſive cum e) Nemeſi Græcorum comparant; quod unice notamus, ut obſervent lectores, incertum eſſe, in cujusnam numinis templo iſte clavus primorum Regum tempore infixus fuerit. Cæterum morem per clavos numerandi, licet, creſcente populi cultu, in publicis abrogatus jam democratiæ, ut videtur, initio fuerit, in privatis tamen et quotidianis negotiis ſaltim inter ruſticos manſiſſe, docet, notante Petiſco f), Neronis tempore Petronius Arbiter Satirici cap. 135. Is innuit, colonos habuiſſe in pariete clavos, ætatem indicantes, novo quotannis ad

priores

c) Libr. VII. c. 3.

d) *Nitſch* mythologiſches Wörterbuch, in *Nortia.*

e) *Chompré* Dictionnaire portatif de la fable per *A. L. Millin* in v. *Nortia* et *Nemeſis.*

f) in Lexico Ant. Romanarum Fol. T. I. voc. *Clavus.*

priores addito; vel parietibus infixos fuiſſe tales ſingulorum hominum clavos, atque ita ſignificaſſe, non modo annorum, ſed et ipſorum hominum in quavis agreſti familia numerum. Quoad clavi infixionem, docet Ciceronis, quod ſupra allegavimus, effatum, eum primis temporibus quotannis novum adſumtum, ſed deinde ad anni mutationem ſignificandam non niſi loco motum fuiſſe.

Invaleſcente inter Romanos literarum uſu rudis ille mos per clavos annorum initia indicandi in desuetudinem abiit, omnique liberæ reipublicæ tempore, ad alios et ſolenniores ritus magis, quam ad anni computationem, clavus adhibitus legitur. Infixus fuit ad prodigia infauſta averruncunda, in motibus publicis, et præcipue piaculi cauſa, ubi peſtilentia inciderat. Uti olim in variis templis figebatur, ita poſt ædem Capitolinam exſtructam, in cella Minervæ ad hanc pertinente id fiebat. Magiſtratus, penes quos poteſtas fuit hoc inſtrumentum figendi, Prætor Maximus, Conſules et potisſimum Dictatores nuncupantur. Deduximus iſta ex Livio, cujus tria loca, licet aliquanto longiora, heic apponere neceſſe erit, cum ſimul tempus et occaſiones annotent, quibus ſinguli iſti ritus fuerint ſuſcepti.

Lex vetuſta eſt (inquit) g), priſcis literis verbisque ſcripta, ut, qui *prætor maximus* ſit, *Idibus Septembribus* clavum pangat." Prætorem Maximum autumant eundem ac Prætorem urbanum; ſed cur ille Idibus Septembribus hoc actu defungi deberet, interpretum nullus expedivit. Si vere hic ſermo (nam Livius parum clare ſe exprimit) de anno per clavi fixionem computando, nil mihi ſupereſt niſi

g) Libr. VII, cap. 3.

nisi hæc conjectura: cum omnes magistratus in sequentem quemque annum medio mense Junio fuerint designati, sed reliqui Decembri demum exeunte Magistratum iniverint, Prætorem forte Urbanum f. Maximum ob speciales sui muneris rationes medio jam Septembri suam provinciam ex prisca quadam lege fuisse aggressum. Pergit Livius: "Fixus fuit (clavus) *dextero lateri ædis Jovis* Optimi Maximi, ex qua parte *Minervæ templum* est. Minervæ templo dicatam ferunt legem, quia numerus Minervæ inventum est." Templum vocat Livius Minervæ ædiculam, quæ rectius cella poterat appellari; nempe in Capitolino templo norunt omnes tres fuisse cellas, Jovis in medio, a sinistra Junonis, et a dextra Minervæ. Verum ideo ibi clavum fixum esse, quod numerus Minervæ inventum sit, vix aliquis Patavino concedet; nec longe quærere necesse est rationem, cur in dextra potissimum parte clavus infigeretur, cum id ipsa rei natura svasisse videatur. Subjicit idem: "M. Horatius Consul ex lege templum Jovis Optimi Maximi dedicavit anno post Reges exactos: *a Consulibus* postea *ad dictatores*, quia majus imperium erat, sollemne clavi figendi *translatum* est. Intermisso deinde more, digna etiam per se visa res, propter quam dictator crearetur."

Tres Dictatores variis temporibus creatos Livius memorat, ad clavum figendum; sed in omnibus pestilentiæ simul, quæ istam religionem provocaverit, mentionem diserte injicit. Anno U. C. 392. h). "Cn. Genucio, L. Æmilio Mamercino secundum consulibus, quum *piaculorum* magis conquisitio animos, quam corpora morbi adficerent,

h) Lib. VII, c. 3.

rent, repetitum ex ſeniorum memoria dicitur, *peſtilentiam* quondam clavo ab Dictatore fixo ſedatam. Ea religione adductus ſenatus *Dictatorem clavi figendi* cauſa dici juſſit. *Dictus L. Manlius Imperioſus*, L. Pinarium Magiſtrum Equitum dixit . . . Creatus L. Manlius, perinde ac reipublicæ gerendæ, ac non *ſolvendæ religione*, gratia creatus eſſet, bellum Hernicum affectans, delectu acerbo juventutem agitavit; tandemque omnibus in eum Tribunis Plebis coortis, ſeu vi, ſeu verecundia victus, dictatura abiit."

Anno U. C. 423. i). Fædus annus fuit, ſeu intemperie coeli, ſeu humana fraude, M. Claudio Marcello, C. Valerio Conſulibus. Quum primores civitatis *peſtilentiæ* morbis eodemque ferme omnes eventu moverentur; ancilla quædam ad Q. Fabium Max. ædilem curulem, indicaturam ſe cauſam publicæ peſtis profeſſa eſt, ſi ab eo fides ſibi data eſſet, haud futurum noxæ indicium. Fabius confeſtim rem ad Conſules, Conſules ad Senatum referunt, conſenſuque ordinis fides indici data. Tum patefactum, muliebri fraude civitatem premi, matronasque ea venena coquere; et, ſi ſequi extemplo velint, manifeſto deprehendi poſſe. Secuti indicem, et coquentes quasdam medicamenta, et recondita alia invenerunt. Quibus in forum delatis, et ad viginti matronis, apud quas deprehenſa erant, per viatorem adcitis, duæ ex eis, Cornelia ac Sergia, patriciæ utraque gentis, quum ea medicamenta ſalubria eſſe contenderent, ab confutante indice bibere juſſæ, ut ſe falſum commentam arguerent; ſpatio ad colloquendum ſumto, quum, ſubmoto populo, in conſpectu omnium rem ad caeteras retuliſſent; haud abnuen-

i) Lib. VIII. c. 18.

nuentibus et illis bibere, epoto medicamento, ſuamet ipſæ fraude omnes interierunt. Comprehenſæ extemplo earum comites magnum numerum matronarum indicaverunt: ex quibus ad CLXX damnatæ. Neque de veneficiis ante eam diem Romæ quæſitum eſt. Prodigii ea res loco habita; captisque magis mentibus, quam conſceleratis, ſimilis viſa. Itaque *memoria ex annalibus repetita*, in *ſeceſſionibus quondam plebis clavum* ab dictatore *fixum*, *alienatasque discordia mentes* hominum eo piaculo compotes ſui feciſſe, Dictatorem clavi ſigendi cauſa creari placuit. Creatus Cn. Quinctilius Magiſtrum Equitem L. Valerium dixit: qui, ſixo clavo, magiſtratu ſe abdicaverunt.

Anno U. C. 441. "a novis k) Conſulibus L. Papirio Curſore quintum, C. Junio Bubulco iterum, nominatus dictator C. Poetilius cum M. Foslio Magiſtro Equitum exercitum accepit. Is quum audiſſet arcem Fregellanam ab Samnitibus captam, omiſſo Boviano ad Fregellas pergit; unde nocturna Samnitium fuga ſine certamine receptis Fregellis, præſidioque valido impoſito, in Campaniam reditum, maxime ad Nolam armis repetendam. Nec ita multo poſt ſive a Poetilio Dictatore, ſive ab C. Junio Conſule (nam utrumque traditur) Nola eſt capta. Qui captæ decus Nolæ ad Conſulem trahunt, adjiciunt, Atinam et Calatiam ab eodem captas; Poetilium autem, *peſtilentia orta*, clavi ſigendi cauſa Dictatorem dictum."

Tres

k) Liv. L. IX, cap. 28.

Tres ergo Dictatores clavi figendi caufa dicti a Livio commemorantur, L. Manlius, Cn. Quinctilius et C. Poetilius. Ex his primus, cognomine Imperiofus, meritorum fplendore maxime celeber erat; ideoque probabile, et Varronem, qui circa Augufti tempora DCC inclytisfimorum virorum picturis hiftoriam fuam Romanam exornaverat; ejus effigiem expresfiffe; et aliquem dactyliorum feculo 1mo poft Chr. n. collectorem, ipfum forte ex ftirpe Manliana, eum a dextero artifice fcalpendum curaffe. Atque fic in gemma, quæ Mufeum Münterianum nunc decorat, ille repræfentatus ad noftra tempora devenit.

II.

Moto anni clavo ad formulam bene ominatam transimus, quam ex Plutarchi Quæftionibus Romanis §. LII hanc elicio: "Utinam nullus ex bonis familiæ membris, anno quem nunc inimus, a nobis fato raptus difcedat!" Hoc votum, quo nullum nativa fimplicitate pulchrius dulciusve, auctor Chæronenfis tantis ambagibus involvit, ut neminem viderim commentatorum, qui ex his tricis fe explicuerit. Verum rem penitius inveftigemus.

Quæftio Plutarchi verbis prolata hæc eft: *Δια τι τῃ καλεμενῃ Γενετῃ Μανῃ κυνα θυεσι, και κατευχονται μηδενα χρηςον ἀποβηναι των οἰκογενων.* Quomodo ipfe in hanc commentetur, verfione Wüttenbachiana 1) exprimemus: "*Cur Manæ Genetæ canem immolant, voto-*

1) Plutarchi Moralia, emendavit *D. Wüttenbach.* Oxonii 1798. 8vo Tom. II. p. 133.

votoque petunt, ne quis domi natorum bonus fiat?" An, quod hæc dea ortui ac partui præeſt obnoxiorum interitui ac fluxorum corporum? *fluxum* enim quendam et generationem ſeu generationem fluxam vox a *manando* ducta indicat: ut igitur Græci Hecatæ, ſic Romani Genetæ canem immolant pro domi naſcentibus. Argivos etiam Socrates ait cane Lucinæ rem ſacram facere, ob facilitatem pariendi. Votum autem *quid ſi* non ad homines pertinet domi naſcentes, ſed *ad canes?* ut hos optent non bonos aut placidos, ſed iracundos fieri et terribiles. Aut quoniam venuſte *boni dicuntur, qui mortem cum vita commutaverunt*, hoc voto oblique precantur, nequis domeſticorum moriatur? Atque hoc alienum putare nemo debet: nam in foedere Arcadum cum Spartanis facto ſcriptum eſſe Ariſtoteles teſtatur: Neminem Tegeatarum debere *bonum reddi* (id eſt *interfici*), ſi auxilii cauſa rebus Lacedæmoniorum ſtudeat."

Expoſitionem Plutarchi multa premunt incommoda:

a) Derivatio Maniæ a manando et myſtica et falſa eſt. Quantopere Chæronenſis auctor, (ut plerique Græci) licet latinitatis non prorſus imperitus, in applicandis etymologiis latinis ceſpitaverit, Quæſtiones Romanæ plurimis docent exemplis? Quid verbis opus, cum m) Calendas ex clam vel celando, Nonas ex numenia, idus ex εἶδος ſerio deducat? Hoc loco ex Geneta ſubſtantivum, ex Mana adjectivum facere videtur. Cogitatio vero de fluxa generatione, licet pulchrum quid habeat, quatenus forte reſpexerit ad perpetuum iſtum fluxum et refluxum, qui in perenni naſcendi et moriendi vicisſitudine obſervatur, hic tamen non niſi vagam,

 nec

m) §. 24 et 25.

nec certis rationibus ſuperſtructam rei perceptionem ſuppeditat. Ferebat iſtius temporis ingenium; philoſophia Orientali latius latiusque ſerpente præpoſtere temperatum, ut obſcuris notionibus homines indulgerent; idque ad Romanas quoque antiquitates Plutarchum applicuiſſe, jam ex 1ma Quæſtione Romana elucet.

b) Quod Argivi Lucinæ ob facilitatem pariundi; canem immolabant, ad rem noſtram parum facit. Plutarchi nempe in antiquitatibus Romanis alter error eſt, quod eas ſemper Græco oculo ſpectat et dijudicat. Habet ea res interdum id boni, quod auctor pro immenſa ſua eruditione multa etiam abſtruſiora de Græcis inſtitutis ſervavit; nec injucundum nobis eſt obſervatu, quomodo aliquis non natu Romanus res Romanas repræſentaverit; eo etiam factum, ut multa quæ Romani ſcriptores, ſuis quippe popularibus notisſima non ſcripto conſignavere, ille memoriæ prodiderit. Verum fecit quoque ea proclivitas ubique Græca inveniendi, ut res maxime disſimiles comparaverit, et a rationibus minime probabilibus derivaverit. Græcorum Hecatæ, ſive mythi originem et indolem, ſive ejus ad Romanos transitum, et inter eos uſum ſpectes, nil cum Romanorum Laribus aut Larum matre commune reperietur.

c) Abſonum prorſus eſt, quod noſter, ad incitas (ut videtur) redactus in chartam conjicit, per οἰκογενεῖς canes eſſe intelligendos, hosque quam maxime atroces ac terribiles, quam minime mites bonosque, eſſe optandos.

d) Quod de Arcadum cum Spartanis foedere adfert, χρηςὸν ποιεῖν ſcil. ibi pro ἀποκτιννύναι fuiſſe poſitum, exquiſita quidem eſt obſervatio;

vatio; verum nemo tamen Plutarcho concedet, talem Laconismum apud alias gentes in formula bene ominata, nedum apud Romanos, qui in domesticis sacris omnia potius ad summam simplicitatem summamque formularum claritatem revocabant, esse exspectandam.

Ex interiore Antiquitatum Romanarum scrutatione longe melior luculentiorque se offert ratio formulam, quæ Plutarchum sollicitum tenuit, intelligendi et explicandi. Nullus equidem dubito, quin *Mana* sit Latinorum Mania, Larum mater. Puto festum, de quo hic agitur, esse Compitalitiorum; eoque et canem immolatum, et formulam, quam hic exponimus, esse pronunciatam. De Laribus longe disputare non hujus est loci; docuit aliquis ex nostratibus n) sic dictos fuisse 1) δαιμονας s. hominum genios; 2) ipsas mortuorum animas (Manes); 3) defunctorum genios; 4) deos ædium custodes. De notione secunda evidens est Festi o) locus; "Laneæ effigies in compitis noctu dabantur in compita, quod Lares, quorum is erat dies festus, animæ putabantur esse hominum redactæ in numerum deorum." Quarta vocis notio frequentissima et ea est, quæ cum Larum in artis monumentis repræsentatione (vid. Fig. 2) maxime cohæret. Larum mater apud Ovidium in Fast. 2, 599. sequ. Lara vocatur; sed cum tota poëtæ fictio mythicus potius lusus, voci λαλα ingeniose superstructus, quam verus mythus sit, eam hic afferre supersedemus. Constantiorem traditionem mythicam *Maniam* matrem Larum fecisse, patet ex Varrone p) et Macrobio q). Cum Lares

n) *Jeremias Müller* in Disp. inaugurali de diis Romanorum Laribus et Penatibus. Hafn 1811. p. 60 67.

o) in v. *Laneæ*. p) de Ling. Lat. VIII, 38. q) Saturn. I, 7.

Lares defunctorum manes ſint, non adeo mirum eorum matrem Maniam fuiſſe appellatam. Loco Macrobii nil diſertius: "Compitalibus — cum ludi per urbem in compitis agebantur, reſtituti ſcil. a Tarquinio Superbo Laribus ac *Maniæ*, ex reſponſo Apollinis, quo præceptum eſt, ut pro capitibus capitibus ſupplicaretur; idque aliquamdiu obſervatum, ut pro familiarium ſoſpitate pueri mactarentur *Maniæ* deæ, *matri Larum*, quod ſacrificii genus Jun. Brutus Conſ. aliter conſtituit celebrandum. Nam capitibus allii et papaveris ſupplicari juſſit, ut reſponſo Apollinis ſatisfieret de nomine capitum, remoto ſcil. ſcelere infauſtæ ſacrificationis; factumque eſt, ut effigies Maniæ ſuſpenſæ pro ſingulorum foribus, periculum, ſiquando immineret familiis, expiarent, ludosque ipſos ex viis compitorum, in quibus agitabantur, *Compitalia* appellitaverunt." Qvid de hoc ſacrificio humano judicandum, alibi oſtendere ſtuduimus r); verum nexus Maniæ cum domeſtico Larum cultu ex Macrobii dictis ſatis elucet. Si tempus quæris, quo ludi Compitalitii, licet feſtis conceptivis accenſiti s), plerumque haberentur, reſpondemus cum Cicerone t), eos *in initium Januarii* ſæpiſſime incidiſſe. Quod ſi verum, probabile quoque fiet, tales dies formulis bene ominatis celebratos fuiſſe.

Cum Larum eſſet domos cuſtodire, rei domeſticæ præeſſe, familias bonis cujusvis generis ornare, earumque ſaluti et incolumitati invigilare, haud mirum, Larum matrem *Genitam* fuiſſe appellatam (geni-

r) in Progr. Univ. d. 15 Maji 1812.

s) ita Feſtus.

t) *Att.* 7, 7. quoniam IV Nonar. Januar. compitalitius dies. *in Piſ.* 8, 4. cum in Calendas Januar. compitalitior. dies incidiſſent.

(genitis et gignendis proſpicientem); licet illud epitheton in nullo me latino auctore legere meminerim. Video quidem Harduinum in Plinio 29, 4. ſ. 14 ponere velle "*Genitæ Manæ* catulo res divina ſit," pro vulgato *Genito mane;* quam conjecturam ingenioſam utique eſſe nemo negabit; verum num ea hic adoptanda, altioris res eſt indaginis, quam ut paucis posſit expediri.

Canem Laribus fuiſſe ſacrum, ob ſingularem nimirum hujus animalis in heros fidem, Ovidius u), Plutarchus x), alii uno ore contendunt. Hinc quoque feſto compitalitiorum canis iisdem immolabatur. In Figura 2 tabulæ æneæ, ſcriptiunculæ huic præmiſſæ, cernitur Lar cum ſuo cane, et pellem ipſe caninam capiti habens circumvolutam. Eſt ea luculentisſima, quam novi, Laris repræſentatio, petita ex columna Cuſſyana, prope Auguſtodunum (Autun) in Francogallia jam pridem repertâ, ſed recentisſime demum per Gab. Prunelle recte explicatâ y). Exprimit illa imago pacem, tranquillitatem, omnemque domeſticam ſalutem, qua Ædui Galliæ populus large fruebantur deletis Imperatorum Romanorum (Maximiani Herculei, et al.) beneficio Bagaudis, qui ſuis latrociniis vicinos diu infeſtaverant; ſimulque gratos interpretatur Æduorum ſenſus pro nupera, quam iisdem Auguſtis debebant, veterum domorum, uti quoque operum publicorum et templorum reſtitutione.

Formulam, per ſe ſimplicisſimam "O ut ex domi natis nemo bonus diſcedat!" Plutarchum arbitror, in latinis quippe ſatis leviter verſatum, vel ipſum infeliciter vertiſſe vel ab alio Græce verſam, ob

u) Faſt 2, 137. ſequ.

x) Qu. Rom. 51.

y) Magaſin Encyclop par *A. L. Millin.* Paris 1805. T. IV. p. 319.

ob minus commodam verborum positionem prave intellexisse. Si illud sumimus, euphemisticum "*discedat*", ansam labendi dedit; si hoc, per vocabula χρηστον et αποβηναι, et ea quidem juxta se posita, in avia fuit deductus. Ex vocabulo "οικογενες" quomodo canes facere potuerit, difficile est ad divinandum, cum ne Græce quidem sic bene dici queat. Patet, quomodo error errorem procreaverit. *Domi nati* sunt οικειοι, familiæ membra, personæ, capita. *Bonum*, sensu teneriori hic accipiendum, ut sint *cara*, dulcia familiæ pignora, interpres χρηστον non prorsus incommode, sed nec satis clare expressit. Sed dum latinum discedat (nobis eripiatur, hinc migret, fato obeat) vertit αποβηναι, ambiguitati largam præbuit occasionem; verbum enim Græcum cum significet, et esse, exsistere, et discedere, et mori; Plutarchus id cum τῳ: χρηστον junxit, atque sic in labyrinthum se implicuit, cui quo magis e doctrinæ suæ thesauris filum idoneum quærebat, eo arctiori et inextricabili errore innexus hærebat.

Quomodocunque formulam prisci latini pronunciaverint, id quidem nos effecisse arbitramur, ut probaverimus, Romanos patresfamilias anni initio ad lares se hujusmodi prece convertisse: "Familia utinam anno ineunte nullum carum caput amittat". Et in his hactenus acquiescimus, monentes, in Plutarcho, de rebus Romanis agente, simili circumspectione semper esse versandum, quamvis hujus auctoris lectio ob immensam eruditionis copiam, qua legentis operam abunde remuneratur, vel maxime frugifera debeat censeri.

III.

Supereſt de monumento, gaudii indice, quod Fig. 3 oculis ſiſtit, paucis diſſerere. Gemma Monradiana ex rubro carneolo eſt, ejusdem ac tabulæ figura magnitudinis, ſcalpturæque ſubtilitate et venuſtate elegantisſimorum in hoc genere antiquitatis operum æmula.

Conſtat ex Xenophontis et Platonis libris, qui Sympoſia inſcribuntur, quantopere Græci in conviviis ex compotatione nuncupatis, ludos ſeriis miſcere amaverint. In talibus ſympoſiis, quæ ipſi Socrati in deliciis erant, ſaltatrices et cantatrices inducebantur, convivas ſuis artibus oblectaturæ; quoque major harum dexteritas, eo magis norat, quod ex Xenophontis συμποσιῳ animadvertimus, Socratica ingenioſitas materiam confabulationis jucundisſimæ et ad animum paſcendum uberrimæ inde derivare. Gemmam nobis propoſitam inſpiciendo ſymphoniacam talem artificem videre mihi videor, non quidem a Græcia vel a Socratis ævo profectam, inde enim vix aliquid ejusmodi ad nos pervenit, ſed ab Hadriani, puto, tempore, et Romani initio poſſeſſoris. Tum nempe Græci artifices Romanis, ut aliis artibus, ita ſcalpendo operam ſuam maxime commodabant. In veſtitu nil eſt inſoliti, nam et capitis redimiculum et peplum corpori involutum Græcarum morem ubique obvium omnino refert. Verum inſtrumenta muſica, quæ tractat, attentionem noſtram tanto magis convertent, quo minus in tanta lapidum cantatrices repræſentantium copia, ullus huic prorſus ſimilis in dactyliothecis huc usque deſcriptis reperietur.

Tria funt hic fingulatim notanda: tympanum, virga bidens atque fcabellum. Ex primo eodemque hic principe inftrumento, quod tympanum eft, *tympaniftriam* appellare mulierem vellem; idem tamen repugnare nolo, fiquis malit *fymphoniacam* nuncupare, cum in Ifidoro Hifpalenfi fero quidem, fed antiquisfimos quosque exfcribente, auctore locum z) repererim nobis heic commodisfimum, ideoque ftatim apponendum. "*Symphonia*, inquit, vulgo appellatur *lignum cavum ex utraque parte, pelle extenfa,* quam *virgulis* hinc inde mufici feriunt; fitque ex ea concordia gravis et acuti fuavisfimus cantus." Si de hypopodio Ifidorus quidfubjeciffet, crediditTes eum hancce nominatim gemmam refpexiffe; ei enim intelligendæ lucem egregie præpandit.

Cylindrica ad ufus muficos inftrumenta veteres habent vel metallea, fupra quæ pellis in parte cava prætenta erat; vel lignea, corio fimiliter præmunita. Illa cymbala, hæc *tympana* proprie dicebantur. Tympana in gemmis, picturis Herculanenfibus, vafisque antiquis, procesfiones Bacchicas exhibentibus, frequenter occurrunt, præcipue leve quod dicitur tympanum, tintinnabulis, ad fonum augendum plerumque inftructum. Forma tympani in hacce gemma a vulgaribus eo difcedit, quod gracilius eft, quodque fæmina id duplici tænia fufpenfum finiftra manu velut vibrat. Cylindrum huic aliquanto fimilem, gracilem fcilicet, et longiorem, video in gemma ex dactyliotheca Ducis Aurelianenfis, verum involucro fuo infertum. Siftit ea faltatricem Bacchicam lyram pulfantem, ante quam inftrumentum cernitur, quod defcriptores eruditi a) pharetram

z) Origen. 11, 21.

a) Defcription des pierres gravées du Cabinet du duc d'Orleans. a Paris 1780 Fol. T. I. tab. 77. p. 266.

retram esse contendunt. Sed in saltatrice nullus sane pharetræ locus; arbitror ergo tympanum musicale esse, sua theca operculo rite instructa inclusum.

Dextra manu *virgulam* ita tenet mulier, ut inferiori tympani extremitati eam nuper admovisse, admotamque retraxisse credas. Ea est, (notante ut audivimus Isidoro) qua lignum cavum musici hinc inde feriunt, ad sonum symphoniacum provocandum. Habet virgula tenues duas prominentias ad pulsandum idoneas, unde *bidentem* adpellarem. Nullam talem novi repræsentationem, nisi illam in Sarcophago Arelatensi, quod non ita pridem elegantissime descripsit A. L. Millin in Monumentis ineditis b). Positus est Sarcophagus musicæ alicui Tyrraniæ, habetque ab una inscriptionis Latinæ parte agnum et arborem (criobolii indices) tibiam suo conditam involucro, et organon hydraulicum; ab altera parte suspensum tympanon quadratum sua theca clausum (Millin chartam esse putat, modulos musicos continentem), pendentem lyram cum plectro transversim posito, et, ut equidem interpretor, scabellum atque *virgulam tridentem* ad tympanum feriendum. Compara sis Lector Benevole utrumque monumentum, et pensitata venustissima commentatoris Gallici explicatione ad hanc gemmam rediens, quantam lucem ab isto sarcophago mutuetur, sed quantam vicissim ei affundat, ultro mirans fateberis.

Pedem dextrum leviter suspensum habet mulier super globulo aliquo, ad cujus latus curvum quid forma semilunari progrediens

 ad

b) Monumens antiques, inédits ou nouvellement expliqués, par *A. Millin*. a Paris 1806. T. 2. 4to p. 292.

ad genu dextrum fere pertingit. Uti virgula a tympano tam prope remota erat, ut ea illud nuper attigiſſe putes, ita plantæ pedis ſuper globulo elevatio talis eſt, ut illam eum brevi antea presſiſſe appareat. Id notamus, quia inde ſcalptoris etiam in minutioribus obſervandis diligentia et ſollertia elucet. Ipſum inſtrumentum ſolicitum aliquem tenere poſſet, cum talis forma nullibi, quantum equidem ſcio, compareat. Indubium tamen eſt, ſiſti hic *ſcabellum*, licet artificioſius forte, quam vulgo eſſe ſoleret. Habuiſſe Græcos muſicos ſub pedibus aliquid quo inſtrumentorum, quæ manibus tractarent, ſonos ſubſequerentur vel augerent, ambigi nequit. Memini in Muſeo Pio-Clementino, a Viſcontiis explicato, me videre Apollinem tali hypopodio inſtructum; memini me in Pindaro νομον commemoratum legentem ſimile quid divinare. Iſta omnia expedire nunc nimis longum; ſed apud Romanos quoque ſcabellum occurrit ut inſtrumenti ſonantis genus, quo in ſcena et ad ſaltationes uterentur. Hinc Cicero pro Coelio c): "Mimi ergo eſt jam exitus, non fabulæ: in quo cum clauſula non invenitur, fugit aliquis e manibus, deinde ſcabellum concrepat, aulæum tollitur." Ferrea ſolea, qua humum ferire ſolebant ſaltantes, ſcabellum eſſe videtur in Luciano, τῳ σιδηρῳ ὑποδηματι κτυπουντας d) memorante. E ligno etiam ſcabella confecta fuiſſe, collegerunt quidam ex Statio e), qui bacchantes "ad inſpirata rotari Buxa" dicit. Tibiæ nimirum ſunt, e buxo fieri ſolitæ. Ibi vero vetus Scholiaſta, bonæ alioquin frugis ple-

c) cap. 27.
d) de ſaltatione c. 83.
e) Thebaid. 7, 171.

plenisſimus: "Tibia, inquit, vel ſcabellum, quod in ſacris tibicines pede ſonare conſueverunt."

In gemmâ muſei ducis Aurelianenſis f), ſacrificium Panis inſculptum habente, duæ ſunt ſymphoniacæ mulieres, quarum una ante imaginem ſedens ore et tibiam et concham inflat, et pede ſimul *ſcabellum* premit, *utris vel folliculi forma* oblonga inſtructum, altera pone hanc ſtans cymbala manibus elevata pulſat. In Sarcophago Arelatenſi pone virgulam tridentem jacet *uter* a parte anteriori planus, parte vero poſteriori ſemilunari rotunditate. In utroque ergo monumento hoc ſcabellum ex pelle confectum credi debet. Sic quoque in gemma Monradiana ſemilunare, quod ad pedes fœminæ poſitum cernitur inſtrumentum, uter eſt oblongus, in cujus infima parte globulus rotundus, quando a muliere calcabatur, lingulam lunarem ad genu fœminæ pertingentem, quæ cava erit cogitanda, aëre implebat, atque ita ſonos producebat, qui tympani modulos ſubſequerentur. Si mavis rem illam ſemilunarem cornu putare, cujus tenuisſima apertura, ori globuli calcati admota, reſonaret, non equidem obluctor, nam in tanta tantulæ gemmæ ſubtilitate, tenuiora ejusmodi discrimina oculum facile fugiunt; maneat modo, quod evicimus, in globulo ſcabellum eſſe agnoſcendum.

---

f) T. I. tab. 76. p. 265.

Hiſce

Hiſce monumentis explicandis innuimus feſti rationem, ad quod Te L. B. hac disquiſitiuncula invitamus. Solemnia ſunt Academica, quibus munere decedens Univerſitatis Rector annum Academicum claudet, in publicâ panegyri optima quæque vota fundet pro rei omnis literariæ et noſtræ ſalute, atque præmia menſe Januario victoribus in certamine anni prioris literario asſignata diſtribuet. Annuente COLLEGIO REGIO, *rei Academicæ et ſcholaſticæ inter nos moderatore*, et favente membro Ejusdem primario SERENISSIMO DUCE SLESVICO-SÖNDERBURGENSI, **FRIDERICO CHRISTIANO**, indicimus hanc panegyrin in diem XV Junii hora XII, in Auditorio Domus Regiæ. RECTOR UNIVERSITATIS M. **BIRGERUS THORLACIUS**, *Profeſſor Lingvæ Latinæ Ordinarius*, cathedram conſcendet, oratione publica muneri ſuo finem impoſiturus. Cives Academici, quibus numi aurei, ingenii ſtudiique præmia, porrigentur, ſunt: in Theologia *Matthias Georgius Petrus Rephöltz*, Theologiæ Candidatus; in Medicina *Janus Doederlein*, artis ſalutaris Candidatus et Collegii Eilerſiani alumnus; in Matheſi *Auguſtus Kreidal*, Candidatus Philoſophiæ; in Hiſtoria *Hector Fridericus Janſen Eſtrup*, Studioſus Theologiæ et Collegii Walchendorphiani alumnus, cui præmium cesſit, et *Chriſtianus Fridericus Jacobus Sohmidten*, Candidatus Philoſophiæ, cui laus ſecunda (quam "*accesſit*" dicimus) fuit adjudicata. Ornatisſimis hiſce commilitonibus honorem gratulatus orator ſucceſſorem ſuum Rectorem deſignatum, Virum Summe Venerabilem M. **PETRUM ERASMUM MÜLLER**, *Theologiæ Doctorem et Profeſſorem Publicum*